

Clerici morientis, ubi est Collegium Clericorum, sed communis Congregatio intelligitur, quae illarum rerum debet Canonice distributionem, & curam habere. Ubi autem in loco defuncti tantum unus est ordinandus, is ea bona, sicut & alia ipsius Ecclesiae in Dei timore dispenset.

65 Resp. V. Quamvis passim, praesertim in Germania vigeat consuetudo, quod consanguinei Clericorum in cuncta eorandem bona tam Ecclesiastica, quam propria indirecte ab intestato succedant; nihilominus consuetudo haec quoad bona Ecclesiastica, illicita & invalida est, ac per consequens non tantum peccant, sed etiam ad restitutionem tenentur dicti consanguinei, si quid de bonis merè Ecclesiasticis scienter accipiunt. Haec conclusio necessarii sequitur ex dictis Tit. 25. de Peculio Clericor. a nu. 30. & 52. cum enim iuxta dicta Clerici non sint domini bonorum Ecclesiasticorum, neque de his valide ad licitè testari valeant, sed omnia Jure Divino teneantur erogare in pias causas, non obstante quacunque consuetudine, consequens est, neque consuetudine fieri posse; quod in dicta bona ab intestato succedant haeredes profani, consanguinei nempe Clericorum; cum non nisi in bona propria defuncti detur successio ab intestato, & contra Jus Divinum non tantum illicita, sed & invalida sit consuetudo; prout amplius dictum & probatum est cit. Tit. 25. de Peculio Cleric. a n. 50. & Tit. preced. n. 332. & seqq. ubi etiam Objectiones Adversariorum solvimus.

66 Hinc repetimus etiam doctrinam in preced. Tit. num. 393. traditam, quod videlicet Clerici bona superflua merè Ecclesiastica habentes, teneantur sub peccato mortali ea vel in vivis erogare in causas pias, vel ad eandem causas de iisdem bonis facere Testamentum, ut aliam ultimam voluntatem, nisi forsan haeredes consanguinei Clericorum ab intestato successuri sita sint pauperes, ut cunctis bonis Ecclesiasticis Clerici superfluis ipsimet indigeant. Ratio est; quia, cum scient, vi corruptelae introductae consanguineos cuncta ab intestato accepturos, sicque magnum praesudicium causis piis illatos, debent, si faciliè possunt, illud impedire: possunt autem facillimè, disponendo nempe ad causas pias, consequenter disponere tenentur, & non disponens est causa indirecta gravis damni causarum piarum, iniquae reus gravis delicti.

Dicitur tamen notanter, nisi consanguinei ejusdem adeo essent pauperes &c. his enim sicut licitè, & validè Testamentum, ita etiam ab intestato relinquere potest bona Ecclesiastica superflua Clericus: cum non sit major ratio de uno, quam alio.

Agendum hic foret etiam de Successione ab intestato, quam Monasteria loco Professorum suorum succedunt. Verum, quia de hoc in Tit. de Regular. agemus, hic supersedemus.

## TITULUS XXVIII.

## De Sepulturis.

## I Ratio continuationis.

**I**N praecedentibus ultimis duobus Titulis actum est de Testamentis, & aliis ultimis voluntatibus, nec non de Successione ab intestato, quae non nisi post mortem suam fortitum effectum, c. Cum Marthe. 6. de Celebrat. Miss. Hinc quia mortem illic sequitur Sepultura, recto ordine praefatis praecedentibus sequentem subjungit Titulum Compiler Canonum.

## De Natura, Loco &amp; Jure Sepulturae.

## SUMMARIUM.

2 *Varia acceptio Sepulturae.*

3 *Sepulturae definitio.*

4 *Locus Sepulturae ordinarius est Coemeterium.*

5 *Quae etiam ab Ecclesiis remota esse possunt: & quare?*

6 *In Ecclesiis olim nemo poterat sepeliri: bene tamen hodie.*

7 *Dissuadetur abusus, quo nimis multi sepeliuntur in Ecclesiis. Et num. seq.*

8 *Ubi quis eligit Sepulturam, ibi sepeliri debet.*

9 *Si nulla eligitur Sepultura, quivis sepelitur in sepulchro Majorum.*

10 *Si nulla eligitur Sepultura, quivis sepelitur in sepulchro Majorum.*

11 *Majorum & parentum nomine qui veniant? Item quid Juris, si Majores in diversis jacens sepulchris?*

12 *Qui non habet Sepulturam Majorum, nec aliquam sibi eligit, sepelitur in sua Parochia.*

13 *Clerici non Beneficiati ibi sepeliuntur, ubi Laici.*

14 *Beneficiati vero ibi, ubi Beneficium habent, etsi alibi domicilium habeant.*

15 *Solvitur obiectio. Et duobus num. seqq.*

16 *Domicilium habet Clericus, ubi residet. Ibid.*

17 *Religiosi sepeliuntur in suo Monasterio, si ibi, vel extra in loco tamen propinquo moriuntur: si in remoto loco, ibidem, vel in sepultura eligita sepeliuntur.*

18 *Si de loco propinquo deferuntur ad Monasterium, nihil debetur Parocho loci.*

19 *Novitii sepeliuntur in Monasterio. Gaudent privilegiis Religiosi. Ibid.*

20 *Domestici & servitiales Religiosorum, in eorum Ecclesia, vel Coemeterio sepeliuntur.*

21 *Uxor vidua sepelitur in sepulchro viri, etsi post mortem mariti in aliam Parochiam secedat.*

22 *Uxor adhuc ligata ubi sepelitur?*

23 *Idem quod de uxore, etiam reciproce de marito dicendum est ratione sepulturae.*

24 *Solvitur obiectio. Vocabulo femineo non continetur masculus. Ibid.*

25 *Hospites & peregrini transientes sepeliuntur in propria Parochia, si illic commode portari valent: secus in Parochia loci, ubi decedunt.*

26 *Solvitur instantia.*

27 *Peregrini & advenae diu alicubi habitantes sepeliuntur in loco, ubi moriuntur. Consuetudo est optima Legum interpret. Ibid.*

28 *Jus Sepulturae de Jure communi competit Ecclesiae Parochiali.*

29 *Idem Fratibus Praedicatoribus, & Minoribus ex speciali privilegio.*

30 *Invitis Regularibus apud eisdem nemo sepeliri potest.*

31 *Ad eligendam alicubi Sepulturam nemo potest induci.*

32 *Pauciat inter Superiores locales, & Clericos seculares circa Sepulturam observari debent.*

33 *Corpus defuncti, qui Sepulturam apud Regulares elegit, non possunt Regulares sine requisitione & praesentia Parochi levare, & ad suas Ecclesias deferre, nisi Parochus requisitus consentire, vel venire recuset.*

34 *Non tenentur corpus prius deferre ad Ecclesiam Parochialem.*

35 *Exequias, & actum Sepulturae peragunt Religiosi, non Parochi loci.*

36 *Regulares, & Communitates comitantes funus debent*

## §. I. De Natura, loco, &amp; Jure Sepulturae.

bens prius ad Ecclesiam Parochialem pergere, & inde prius cum clero ad domum defuncti. 38 Haeredes non tenentur curare Officia, & Missas fieri in Ecclesia Parochiali, casu quo apud Regulares electa est Sepultura.

**N**Otandum prius Sepulturam tripliciter accipi. I. Puro Jure sepeliendi corpora, seu cadavera mortuorum. arg. Clem. 2. h. t. & aliis Juribus infra citandis. II. Pro ipso loco, in quo cadavera sepeliuntur. can. Azurum. cau. 12. q. 2. & c. 3. h. t. cum concordantibus. III. Pro actu, ritu, seu officio, quod in humanois & sepeliendis corporibus impenditur. can. Diclum. 105. cau. 1. q. 1. & can. Praecipendum. 15. cau. 13. q. 2. In praesenti praecipue erit sermo de Sepultura in secundo sensu, quatenus nempe signifi- et locum, in quo cadavera mortuorum sepeliuntur. Et de hac

Queritur I. Quid fit Sepultura? Resp. Est locus auctoritate Episcopi benedictus, in quo cadavera Catholicorum pie decedentium sepeliuntur. Ita Glossa in can. 14. cau. 13. q. 2. §. Si terram. Abbas in Rubr. h. t. n. 1. & in re Communis; pateque definitio ex terminis. Dicitur Locus benedictus, quia quamvis olim ipia corporis humatione, seu per ipsum corpus humatum seu sepulchrum locus redderetur Religiosus & benedictus, uti expresse habetur l. 2. §. l. Cum in diversis. 44. ff. de Religios. & sumpt. funer. hodie tamen specialiter auctoritate Episcopi benedici debet, ad hoc, ut dici possit Sepultura, uti habet Glossa communiter recepta in can. In Ecclesiastico. 14. cau. 13. q. 2. §. Si terram. arg. c. 4. de Religios. dom. Dicitur Catholicorum; quia iuxta dicenda infra n. 77. & 78. qui Catholicus non est, in Sepultura ritu Catholico benedici, sepeliri non potest; sicut neque Catholicus in statu gravis peccati notorie decedens, & ideò etiam additur pie decedentium.

Queritur II. Ubinam, & quae loca deputari & serviri possint pro Sepultura? Resp. I. Regulariter loquendo, locus Sepulturae est atrium, aut porticus, vel aliud terrae spatium prope Ecclesiam, quod hodie Coemeterium communiter vocatur. Communis textu claro can. Praecipendum. 15. cau. 13. q. 2. ibi: Prohibendum est etiam secundum Majorum instituta, ut in Ecclesia nullatenus sepeliatur: sed in arvo aut in porticu, aut in exedris Ecclesiae. Vocatur autem Coemeterium, can. 1. cau. 13. q. 1. & alibi, quod graecè idem significat, ac Dormitorium: quia ibi requiescunt corpora Catholicorum, qui ob spem resurrectionis non tam mortui jacere, quam dormire dicuntur, Joan. cap. 11. & i. ad Theosal. 4. ibi: Nolimus vos ignorare de dormientibus, in quem textum S. Hieronimus ait, eos dormientes appellari, quia certum est, eos resurrecturos.

Porro licet, ut dictum, Coemeteria plerumque prope Ecclesiam fiant, possunt nihilominus etiam in remotis ab Ecclesia locis constitui, ibique sepeliri cadavera, praesertim tempore pestis, uti post Sylvestrum §. Sepultura. q. r. bene notat Van Elpen p. 2. Tit. 38. de Sepultura. cap. 2. Pirhing h. t. n. 2. & alii, consuetudine addente robur. Imò l. 3. §. 5. ff. de Sepulch. violato, sub poena 40. aureorum statuit, ne quis in Civitate sepeliretur, ne felicitat Communis factorè inficeretur. Et quamvis haec Lex non stringat amplius, tamen ob rationem Legis factum esse, credible est, quod hodie in magnis Civitatibus Coemeteria extra Civitatem erigantur, Gotes-Acker vocant. Dicitur autem notanter in conclusione regulariter loquendo, nam

Resp. II. Quamvis olim in solis Coemeteriis, & nullus in Ecclesia sepeliri potuerit, uti patet ex cit. can. Praecipendum. 15. cau. 13. q. 2. ubi habentur haec verba: Intra Ecclesiam verò aut pro-Reiffensuel Jus Can. Tom. III.

pe Altare, ubi corpus & Sanguis Domini conficitur, nullatenus sepeliuntur. & can. Nullus. 18. ead. caus. & q. ibi: Nullus mortuus intra Ecclesiam sepeliatur, nisi Episcopi, aut Abbates, aut digni Praesbyteri, vel fideles Laici: ubi per fideles Laicos intelliguntur Laici in fama sanctitatis, & miraculis clari iuxta Glossam ibidem §. Fideles, tamen hodie & Jure, & consuetudine introductum habetur, quod quivis Catholicus sine Clericus, sine Laicus etiam in Ecclesiis sepeliari queat, c. Ex parte. 5. & c. Cum liberum. 6. h. t. juncto can. Cum gravia. 17. cau. 13. q. 2. ubi rito (quae etiam de Coemeteriis prope Ecclesiam militat) additur, videlicet, ut defunctorum proximè, quoties ad eadem loca sacra (Coemeteria nempe, & per ea ad Ecclesias) veniunt, suorum, quorum sepulchra aspiciunt, recordentur, & pro eis Domino preces fundant. Est & alia ratio, ut crebro illic venientes homines mortalitatis, & mortis sibi imminentes utiliter recordentur. Varro, lib. 5. de Linguae latina.

Notat tamen Bernard. Van Elpen p. 2. Tit. 28. de 7 Sepulturis, cap. 2. n. 34. magnum circa sepeliendis in Ecclesia abutim hodierno vigere tempore, ita ut Ecclesiae videantur quasi Coemeteria divite, Coemeterio communi in solam pauperum Sepulturam relicto. Quem abutim non tantum rationibus diluadit, sed & necessariam ejusdem eliminationem ex pluribus recentioribus Conciliis demonstrat. Inter quae Concilium Rothomanense 1581. Tit. de Curatorum officis. n. 31. sic ait: Non adeo promissive mortui sepeliuntur in Ecclesiis, sed hoc servetur Deo sacras specialiter hominibus, ed quod praesertim eorum corpora templum sint Christi, & Spiritus sancti; & aliis in sublimitate & dignitate tam Ecclesiastica quam seculari constituit; quandoquidem & isti Dei ministri sunt, atque Organa Spiritus sancti. Aliis insuper, qui nobilitate, vel virtutibus vel meritis erga Deum, & Republicanam fulgent. Caeteri piè & Religiose in Coemeteriis ad hoc dedicatis Sepultura tradantur. Concilium Remense 1585. Tit. de Sepulturis ordinavit: Ut omnes Christiani, quibus sepultura non est interdicta, in Coemeteriis, non autem in Ecclesiis sepeliuntur, nisi forte de consensu Superiorum. Superiores autem non possunt omnibus id privilegium concedant, sed in ejusmodi concessionibus delectum habeant personarum. Imò idem Concilium ad tollendos abusus statuit, ut in Ecclesiis deinceps nulli sepeliatur, nisi fuerint Sacerdotes, vel Sarii initiati, vel Religiosi, Ecclesiarumque patroni. Alii autem, qui nobilitate, auctoritate, meritisque in Deum, & Religionem commendati fuerint, ad id cum licentia Episcopi admittantur. Caeteros verò in Coemeteriis, quae olim etiam Illustriores non aspernabantur, sepeliri mandamus.

Concordat Rituale Romanum sub Paulo V. editum, dum dicit. Ubi vigeat antiqua consuetudo sepeliendi mortuos in Coemeterio, retineatur, & NB. ubi fieri potest, restituatur. Addit insuper: At vero, ubi locus Sepulturae dabitur in Ecclesia, humi tantum detur, cadavera autem prope Altaria non sepeliuntur. Hinc in multis locis Decreta Synodalia extant, vi quorum sine expressa Episcopi licentia, in Ecclesia nemo sepeliri potest. Certè Episcoporum erit, intuitu tot Conciliorum vigilare, ut abusus hic in Dioecesibus eorum tollatur. Van Elpen lo. cit. n. 43.

Queritur II. Ubinam quivis, seu in quo Coemeterio, vel Ecclesia sepeliri debeat? Resp. I. Qui sibi eligit Sepulturam, in eo sepeliri debet, etsi fit aliena, c. 1. h. t. ibi: Nulli tamen negamus propriam eligere Sepulturam, & etiam alienam: Dominus enim & Magister eligit alienam ut propriam. Concordat c. Cum super. 8. & c. In nostra. 10. h. t. sicut & c. 1. & 2. ead. in 6. dummodò non eligat locum profanum, sed Religiosum, cui vel à Jure communi, vel ex privi-

privilegio jus Sepulturæ competit c. 3. h. t. & c. 16. de Excess. Prælat. & eligere sibi sepulturam per Jura non prohibeatur. Quibus autem locis jus Sepulturæ competat, dicitur infra num. 29. Qui vero eligere Sepulturam de Jure non possunt, dicitur §. seg.

10 Resp. II. Qui sibi ipsi Sepulturam non eligit, sepeliri debet in sepulchro Majorum suorum. Caret controversiâ, claris Juribus c. 1. h. t. ibi: Statuimus, unumquemque in Majorum suorum sepulchro facere, ut Patriarcharum exitus docet. Concordat c. 2. & 3. eod. in 6. ibi: Is, qui non electâ sepulturâ decessit, in ea, in qua Majorum ipsius ab antiquo sepultura existit, sepeliri debet; dummodò absque periculo ad ipsam valeat deportari. Sequuntur DD. communiter, signanter Abbas c. 1. h. t. n. 1. Engel h. t. n. 4. Pirhing eod. n. 3. Veniunt autem nomine Majorum pater, avus, proavus, ceterique ascendentes in linea rectâ l. Jurisconsultus. 10. ff. de Gradib. & affinitib.

11 Controversum autem Doctores, ubinam quis sepeliri debeat, casu quo Majores in diversis jacent sepulchris. Probabilior tamen, & Juri conformior doctrina videtur sequens, videlicet I. Quòd si abavus, proavus, & avus in uno, pater verò in alio specialiter sibi electo loco jaceret, filius sepeliri non deberet in sepulchro patris, sed Majorum, nisi pater pro se, & posteris aliam sepulturam expressè elegerit. Glossa in c. Is qui. 3. §. Ab antiquo. h. t. in 6. Engel eod. n. 6. Sylvestr §. Sepultura q. 8. & alii, arg. c. 1. & 3. h. t. ubi semper in plurali fit locutio, ut in sepulchro Majorum: item in sepulchro patrum & parentum (quo nomine etiam Majores veniunt, cit. l. 10. §. ff. de Gradib. & affinitib. ibi: Parentes usque ad Tritavum nominantur) item in sepultura Majorum ab antiquo, c. Is qui. 3. h. t. in 6. sepeliantur: atqui hæc Jura magis verificantur, si in præfato casu, filius non in sepulchro solius patris, sed Majorum antecedentem sepeliatur, ut consideranti patet, ergo. Dicitur autem notanter, Nisi sepulturam pro se & posteris expressè elegerit: hoc enim in casu filius usque in sepultura patris sepeliri deberet, arg. can. 3. §. Item in novo. cau. 13. q. 2. Ratio est; quia si posteri aliam sepulturam non eligerit, in similem patris electionem consentire, sicque sibi ipsi sepulturam tacitè elegerit censentur: Sepultura autem electa omnes præcedit dicta nu. 9. ergo. II. Si abavus & proavus in uno, avus verò & pater in alio quiescant loco, filius sepeliendus erit cum patre & avo, Engel lo. cit. Pirhing lo. cit. n. 4. Sylvestr lo. cit. q. 8. Barbosa de Offic. & potest. Paroch. cap. 26. n. 32. & in c. 1. h. t. n. 2. Old. consil. 25. Ratio est; quia unio sepulturæ procedit ex quadam charitate & mutua dilectione, quæ fuit inter vivos; major autem filii charitas seu dilectio præsumitur fuisse erga proximiores Majores patrem nempe, & avum, quam erga remotiores abavum nempe & proavum; ergo cum proximis sepeliendus est; præsertim, cum tunc æquè satisfiat Juri textibus, ac si in sepulchro remotiorum sepeliatur. III. Si quis Majorum in alio jacet sepulchro, sepeliendus erit filius in propria Parochia. Barbosa in c. 1. h. t. n. 2. Engel h. t. n. 6. & alii Ratio patet; quia tunc censetur carere sepulturâ Majorum; carens autem sepulturâ Majorum sepeliri debet in sua Parochia, ut statim dicitur num. segg. nisi pater pro se & posteris sepulturam elegerit ob rationem superius dictam.

12 Resp. III. Si quis sepulturam Majorum non habet, nec sibi ipsi aliquam elegerit, vel si habet, aut elegerit quidem, sed ad eam commode portari nequit, sepeliendus est in propria Parochia, ubi domicilium habuit, Sacramenta percepit, Divina audivit,

Ita communis & certa, arg. c. 1. C. Ex parte. 5. & c. In nostra. 10. h. t. juncto c. 1. & 3. in 6. Ratio est; quia cum dignus sit operarius mercede sua, merito quis ibidem sepeliri jubeatur, ubi in vivis refectionem spiritualem percepit, ut operarius, Parochus nempe, occasione sepulturæ etiam mercedem recipiat ab illo, cui in vivis operas spirituales exhibuit; prout innuitur c. 1. h. t. indeque etiam præcipitur, ut si quis in alieno sibi electo, vel Majorum sepulchro sepeliatur, ob dictam rationem Parochus portio Canonica tribuatur, de qua magis §. seg. Et hæc de Sepultura Catholicorum in genere; quia verò Jura de Sepultura quorundam in specie specialiter disponunt, ideò circa speciales.

13 Quæritur III. Ubinam sepeliendi sint Clerici familiares? Resp. I. Clerici Beneficiarius non habentes ibidem, ubi Laici, sepeliri debent, in sepultura nempe sibi electa, vel in sepultura Majorum, si habent, vel denique in Parochiali sua Ecclesia. Unanimis Ratio est, quia cum Jura speciale de eis nihil statuatur, idem de eis dicendum, quod de Sepultura Catholicorum ut sic Jura communiter statuunt: Nam ubi Jura non distinguunt, nec nos distinguere debemus, l. de Pretio. ff. de Publician. in rem act. & verba generalia generaliter sunt intelligenda, c. Quia circa. 22. de Privilegiis.

14 Resp. II. Clerici Beneficiarii tam simplices, quam Curati, qui sepulturam Majorum non habent, nec aliquam sibi specialiter elegerunt, sepeliri debent in Ecclesia, vel Cœmeterio illius Parochiæ, ubi Beneficiarius habent, & servitium cum residentia exhibent; etiam in aliena constant & perpetuò habitent, ibique moriantur. Ita Barbosa in c. 1. h. t. n. 4. Vallensis h. t. n. 6. Sannig. h. t. n. 8. Bellef. Disquisit. Clerici. p. 1. §. 3. n. 9. 10. 11. & 20. Tufchus Lit. P. Conclus. 99. n. 5. Jo. Alin. in l. Familiaria. ff. de Relig. & sumpt. fun. Bursat. Consil. 226. n. 18. & 19. Pirhing h. t. n. 9. Murga & Communis aliorum, arg. c. 1. h. t. & c. 2. eod. in 6. ubi statuitur, illos, qui sepulturam sibi non elegerunt, & Majorum sepulturam non habent, sepeliri debere, ubi pabulo celesti resti consecuerunt, c. 1. h. t. seu ubi officia consecuit audire Divina, & Ecclesiastica recipere Sacramenta, c. 2. h. t. seu à quibus recepimus salutis pabula c. 4. h. t. Atqui Clerici Beneficiarii ibi Divina audiunt, & Sacramenta percipiunt, ubi Beneficiarius habentes, servitium cum residentia exhibent, prout certum est; ergo Ratio est; quia Clericus Beneficiarius verè ibidem parochianus est; cum alijs non ibi, sed alibi Sacramenta percipere, & Divina audire statuit à Jure temporibus deberet, arg. c. Omnis viriusque. 12. de Pœnit. & Remiss. Accedit, quòd Parochus jus sepeliendi suos Parochianos à SS. Canonibus tribuatur tanquam merces laboris spiritualis, quem in Sacramentorum, & officiorum Divinorum administratione Parochianis, in vivis exhibet, arg. cit. c. 1. h. t. & c. fin. de Paroch. ibi: Ab eis temporalia non exigant, quibus spiritualia non ministrant: ergo, qui præfatis Clericis non Parochus loci, in quo habitant, sed Parochus loci, in quo Beneficiarius habet, Divina administrat, non ille, sed iste jus sepeliendi habet, & per consequens Parochus erit.

15 Dices: ubi quis domicilium habet perpetuum, ubi Parochianus est; ergo etiam ibidem sepeliri debet, arg. c. Is qui. 3. h. t. in 6. & c. fin. de Paroch. Resp. Disting. Ant. Ubi quis domicilium habet ibidem Parochianus est, si ibidem statutis à Jura temporibus Divina & Sacramenta percipit conceditur: secus negatur Ant. & Conseq. Unde quia Clericus Beneficiarius cum residentia habens, ibi percipit Sacramenta, ubi ratione Beneficiarius residere, & Divinum obsequium exhibere debet, alibi

alibi Parochianus non erit; est ibidem materiale dominium, seu habitationem habeat. Resp. II. Negando Suppositum, quòd Clericus Beneficiarius in aliena Parochia perpetuò habitans, ibidem verum ac proprium domicilium in sensu Juris ad propositum habere dicitur; cum ratione Beneficii domicilium contrahat ibi, ubi residere tenetur, ut bene advertit Donatus Tom. 3. tract. 9. q. 26. Bursat. Consil. 226. n. 18. Vallensis h. t. §. 2. n. 6. arg. c. 2. de Temp. Ordination. in 6. Nam sicuti à pari Clericus aliquis Cathedralis, vel alius Beneficiatus ad residentiam adstrictus, in Ecclesia sua residere dicitur, si ibidem temporibus suis debitum obsequium Divinum exhibet, licèt in loco alterius Parochiæ domicilium & habitationem materiale habeat: ita etiam domicilium in sensu Juris habere, ibique Parochianus esse dicitur, ubi residet, & Divina percipit; licèt alibi seu in alia Parochia corporaliter habitet; cum hoc ad præsens profus sit per accidens, arg. cit. Juribus.

16 In talibus: Clericus Beneficiatus recipit viaticum: & extremam Uncionem à Parochio loci, in quo corporaliter habitat, seu ubi domicilium & habitationem suam materiale habet, licèt Beneficiarius cum residentia habeat: ergo etiam Parochus parochianus est, & per consequens ab eodem sepeliendus erit: cum viaticum & extremam Uncionem non nisi proprius Parochus impertiatur. Resp. Concels. ant. negando conseq. quia in ordine ad Sepulturam SS. Canones non attendunt locum, ubi quis in extremis reficitur, sed ubi in vivis Celestis pabulo resti consecuit (notetur terminus consecuit) prout dicitur c. 1. h. t. seu ubi in vivis officia consecuit audire Divina, & Ecclesiastica recipere Sacramenta, uti habetur c. 2. eod. in 6. Unde quia Clericus in vivis Sacramenta percipere consecuit in loco Beneficii, ibidem sepeliri debet, non obstante, quòd Viaticum à Parochio loci, ubi habitat, recipiat; quia hoc non recipit, quasi verò dicti Parochi parochianus esset; sed quia Parochus proprius fines & territorium Parochi, ubi habitat intrare, arg. can. Divina ipso invito administrare nequit, arg. can. 1. cau. 13. q. 1. Hinc etiam fit, quòd si quis recreationis, vel negotii causâ in villam extra fines loci Parochiæ suam se conferat, ibique moriatur, non ibidem, sed in propria Parochia sua sepeliri debeat, est in aliena Viaticum & extremam Uncionem receperit, textu claro c. Is qui. 3. h. t. in 6.

17 Urgèbis, allegando præsentis controversiæ Decisionem apud Donatum lo. cit. ex qua habetur, quòd Clericus in illa Parochia, ubi habitat, non ubi servit, sepeliri debeat. Resp. ibi non esse sermonem de Clerico Beneficiario perpetuum habente, sed de Clerico servitore, seu servitium temporale ad nutum revocabile præstante, consequenter ad propositum nihil contra, sed pro nobis probare, præsertim quia ibidem fatetur citatus Author, etiam servitorem Ecclesiæ perpetuum sepeliri debere in Ecclesia ubi servit, non ubi habitat: ergo multò magis Beneficiarius perpetuus, utpote qui magis unitus est Ecclesiæ, quam aliquis servitor. Unde etiam idem Donatus non obstante dictâ Decisione nostræ Conclusioni adhæret lo. cit. n. 1. dum dicit: Beneficiarius sepeliri debet in Ecclesia, ubi est Beneficiarius: nec refert, quòd addat supple. cum cura & residentia: quia ly & ibi sumi debet pro vel; tum quia ibidem allegat Doctores, qui omnes in sensu diviso loquuntur: tum quia ipsemet ibid. n. 4. fatetur, etiam servitorem Ecclesiæ perpetuum, qui nullam animarum curam habet, sepeliri debere in Ecclesia, cui servit, licèt alibi habitat: ergo multò magis Beneficiarius. Nec est absurdum particulam conjunctivam &

pro disjunctiva capere, quia in Jure non rarò ita accipitur, vide apud Barbolam De Diction. §. Et.

18 Quæritur IV. Ubi sepeliendi sint Religiosi, eorum Novitii, & reliqui famuli aut domesticæ? Resp. I. Religiosi, nisi forsan à proprijs Monasterijs adeò sint remoti, quòd ad ea, cum moriantur, commode portari non possint, nequeunt (cum velle & nolle non habent) sibi eligere sepulturam: sed sunt apud sua Monasteria tumulandi. Sunt verba c. fin. h. t. in 6. Ubi notanda verba, Nisi à proprijs Monasterijs adeò sint remoti, ut ad ea commode portari non possint: tali enim in casu utique sepulturam eligere sibi possunt Jure ipso per dictam limitationem id concedente; & tenet Glossa; ibi: In casu Donatus tom. 3. tract. 10. q. 2. Engel h. t. n. 11. & alii. Ratio est; quia ratione incommoditatis & periculi permittitur, quòd alijs permillum non est, arg. cit. 3. eod. in 6. & c. Si duo §. Sanè de Procurar. in 6. quòd si in hujusmodi casu sepulturam sibi non eligant, sepeliendi sunt in Parochia, in qua moriuntur, idque expensis Monasterii, si bona in communi possidet, Donatus lo. cit. & Glossa in cit. c. fin. h. t. in 6. ubi citat communem DD.

19 Si verò decessit in loco propinquo, à quo commode ad Monasterium portari valet, ibidem sepeliri debet, arg. cit. c. fin. h. t. in 6. & ibi Glossa fin. cum communi DD. In quo casu nihil tenentur solveré Parochio loci, in quo decessit, est Religioso infirmo Viaticum & extremam Uncionem dederit: uti declaravit S. Congregatio 1615. 22. Maii, apud Donatum lo. cit. tract. 10. q. 2. Barbosa de Offic. & potest. Paroch. cap. 26. n. 68. possuntque dicere Regulares inconsulto Parochio defunctum deferre ad suum Monasterium, prout eadem S. Congregatio 1620. 2. Julii, declaravit, uti videre est apud Barbolam & Donatum lo. cit.

20 Resp. II. Novitii sepulturam sibi non eligentes, in Monasterio, ubi decessit, sepeliuntur expensis ipsius Monasterii, & absque ulla obligatione solvendi portionem Canonicam Parochi loci. Engel h. t. n. 12. cum Communis aliorum. Ratio est: quia Novitii in favorabilibus veniunt nomine Religiosorum eorumque privilegia gaudent, arg. c. Religioso 12. de Sentent. Excomm. in 6. Accedit specialia circa hoc privilegia Religiosis concessa (de quibus testatur Donatus lo. cit.) & universalis Religiosorum consuetudo, quæ utique etiam derogaret Legi, si quæ in contrarium foret c. fin. de Consuetud. Precedit Conclusio, est Novitium in Proposito fuisse redeundi ad sæculum. Sylvestr §. Sepultura q. 8. Engel lo. cit. Ratio est; quia non voluntas & affectus sed factum mutat statum & domicilium, l. Domicilium 20. ff. ad Municipalem.

21 Resp. III. Famuli, ac Servitiales domesticæ Religiosorum pariter absque onere solvendi portionem Canonicam sunt sepeliendi in Ecclesia, vel Cœmeterio Monasterii, si intra illius septa moriantur, nec aliam sibi sepulturam eligant. Roderiquez tom. 2. q. 68. a. 2. Layman lo. cit. n. 9. Molina Disp. 214. n. 16. Pirhing h. t. n. 9. Sorbo §. Sepultura. nu. 2. Sannig h. t. cap. 5. n. 5. Donatus par. 3. tr. 10. q. 21. dicens, id dubio carere, cum Communis aliorum. Fundamentum Conclusionis est privilegium à Summis Pontificibus specialiter ad id concessum; nisi videre est apud Sorb. & Roderiquez lo. cit. Pirhing lo. cit. etiam citat compendium Privilegiarum Societatis.

22 Quæritur V. Ubinam sepeliri debeat uxor sive vidua, sive actu adhuc ligata? Resp. I. Uxor vidua, est sepulchrum Majorum habeat, tamen non in eo, sed in sepultura mariti sepeliri debet. Caret controversiâ, textus expressus habetur in can. Ebron. 2. cau. 13. q. 2. ubi etiam ratio redditur illis verbis:  
U

548  
 Ut quos conjunxit unum conjugium, jungat unum sepulchrum, quia una caro sunt, & quos Deus conjunxit, homo non separat. Quod si mulier plures viros habuit successivè, si sepulturam non eligat, est cum viro ultimo, cujus domicilium retinet, & honorem, tumulanda, juxta Constitutionem Bonifacii VIII. c. 15. qui. 3. §. Mulier. h. t. in 6 Etiam si mulier post mortem ultimi mariti locum habitationis mutet, & ad patrem v. g. vel aliorum extra fines & locum sepulchri mariti se conferat. Pirhing h. t. n. 12. Sylvester §. Sepulch. q. 8. dict. 5. Joan. Andreas in c. Is qui. 3. h. t. in 6. & alii. Ratio est; quia non tantum in vita mariti l. fin. §. 3. ff. ad Municipalem; sed etiam post mortem ejusdem, uxor retinet domicilium illius arg. cit. c. Is qui. 3. h. t. in 6. ibi: Cujus domicilium retinet, & c. Ex parte. 15. de foro compet. junct. l. 3. c. de Privileg. Schol. & can. 3. cau. 13. q. 2. ibi: Unaqueque mulier sequatur virum suum, sive in vita, sive in morte. Accedit, quod etiam in tali vidua alioquin se conferre militet ratio Juris allegata, scilicet, ut quos unum conjunxit conjugium, conjungat unum sepulchrum.

23  
 Resp. II. Si uxor actu adhuc ligata, ante virum moritur, nullibi sibi electa sepulturâ, debet sepeliri in sepultura mariti, si hic aliquam sibi jam elegit, aut in sepulchro Majorum sepeliri statuit. Abbas in c. 7. h. t. n. 6. Barbosa ibid. n. 4. Pirhing h. t. n. 12. Sylvester §. Sepultura. q. 8. dist. 5. arg. cit. cau. 2. cau. 13. q. 2. Ratio est; quia maritus animi destinatione ibidem jam censetur esse sepultus. Si vero maritus voluntatem suam circa sepulchrum non dum declaravit, sepelienda erit uxor in sepulchro Majorum, si habet, vel in Parochia, ubi decedit, conformiter dispositioni Juris communis supra allegati. Ita Doctores citati.

24  
 Porro utrum ea, quæ dicta sunt de sepultura uxoris recipere etiam dicenda sint de sepultura mariti, ita ut hic quoque in sepultura uxoris sepeliendus sit, si nullam sibi sepulturam eligat? controuersia est inter Doctores, Sylvester enim lo. cit. quem sequitur Pirhing h. t. n. 10. negativè respondet: tum quia cit. cau. 3. cau. 13. q. 2. solum dicitur, quod mulier sequi debeat virum & in vita, & in morte: non autem dicitur e contra de viro: tum quia absurdum est, si maritus sequitur dispositionem mulieris, arg. l. Si ita. 45. ff. de Leg. 2. Abbas verò in c. de Uxo. e. 7. h. t. n. 7. affirmativam tenet, quæ sanè videtur probabilior; eò quod reverà eadem prolixè militet Juris ratio in marito, quæ in uxore, cau. 2. cau. 13. q. 2. expressè, videlicet, ut quos conjunxit unum conjugium, jungat unum sepulchrum; quia sunt una caro, & quos Deus conjunxit, homo non separat: ubi autem eadem ratio, eadem est Juris dispositio, arg. c. Inter corporalia. 2. de Translat. Episc. & l. Idè. ff. de Leg. ibi: Semper quasi hoc Legis inesse credi oportet, ut ad eas quoque personas, & ad eas res pertineat, quæ quandoque similes erunt: quia non possunt omnes articulis singillatim comprehendi, sed cum in aliquo casu sententia eorum manifesta est, is, qui jurisdictioni præest, ad similia procedere, atque ita jus dicere debet, uti habetur l. Non possunt ff. eod.

25  
 Nec obstant rationes in contrarium: quamvis enim vi non teneatur tam in vita, quam post mortem sequi uxorem, sicut uxor teneatur sequi virum: tamen tamen hic illam sequi post mortem, si non vigore cau. 3. tamen vigore cau. 2. cau. 13. q. 2. ob Juris omnimodam identitatem. Nec est absurdum, si sequitur vir dispositionem uxoris, si aut Jura exigant, aut mulier rationabiliter disponat. Neque in contrarium stat l. 45. ff. de Legat. 2. ab Adversariis citata, utpote ubi non id, quod ipsi dicunt, sed illud tantum dicitur, quod vo-

cabulo famine masculus non conineatur; supple nisi aliunde præteritum ex ratione Juris contrarium appareat. Accedit, quod vir uxorem sequi ad eundem locum sepulture necessariò non teneatur, cum possit, si velit, propriam sibi eligere sepulturam, quam si non eligat, sepulturam uxoris tacitè eligere, & affectu maritali illud Juris velle videtur, ut quos conjunxit idem matrimonium, jungat idem sepulchrum.

Quæritur VI. Ubi sepeliri debeant Viatores 26  
 Resp. I. Qui in aliena Parochia existens, animo moram longam ibidem non trahendi, moritur, sepeliri debet in sepulchro Majorum, vel si non habet, in propria Parochia dummodò illic commodè & sine periculo portari possit, secus vero in Parochia loci, ubi decedit. Abbas in c. 1. h. t. Molina Disp. 214. n. 17. Barbosa in c. 1. h. t. Pirhing h. t. n. 8. Sylvester §. Sepultura. q. 8. dist. 2. Van Espen p. 2. Tit. 28. de Sepult. cap. 3. n. 9 & 10. arg. c. 1. h. t. & c. Is qui. 3. eod. in 6. ibi: Is, qui habet domicilium in civitate, vel castro, quando ad villam ruralem se transfert recreationis causâ, vel ut ruralia exerceat in eadem, si non electâ Sepulturâ decedat ibidem, non in Ecclesia dictæ villæ, sed in sua Parochiali, vel in ea potius, in qua Majorum ipsius ab antiquo sepultura existit, sepeliri debet; dummodò absque periculo ad ipsam valeat deportari. Ratio prioris partis est, quæ supra n. 12. Ratio posterioris verò, quod videlicet sepeliri debeat in Parochia, in qua decedit, casu quo ad sepulchrum Majorum, vel propriam Parochiam portari nequit, est; quod tunc Parochus loci præ cæteris potissimum jus habet: tum quia Parochus loci peregrinus ministrat Sacramento, arg. c. de Celebrat. Missi. tum quia Parochus habet fundatam intentionem super omnibus proventibus spiritualibus intra illius Parochiam provenientibus, ut bene notat Abbas lo. cit. n. 4. arg. c. Pastoralis. 9. de His, quæ sunt à Prælat.

27  
 Dices cum Bellet. Disquisit. Cleric. p. 1. de Cleric. debitore. §. 3. n. 21. Hoc ipso, quod peregrinus in aliena Parochia, ubi moritur, percipit Sacramento, censetur sibi ibidem elegisse sepulturam; ergo ibidem sepeliri debet, etiam si ad propriam Parochiam commodè portari possit; cum sepultura electa omnes præcedat per dicta num. 9 Resp. negando aut. utpote militans contra expressum textum c. 7. h. t. in 6. Sacramenta enim ibi fuscipit, non quod intendat per hoc ibidem eligere sepulturam, sed quia eam aliunde habere nequit, juxta dicta num. 16. Est tamen etiam attendenda consuetudo loci.

28  
 Resp. II. Illi, qui alicubi proprium domicilium habentes ad alium locum se conferunt, animo ibidem non quidem perpetuò, sed tantum per aliquod tempus, tam diu tamen permanendi; ut quasi domicilium ibi contrahant (quales sunt studiosi, & famuli conductitii) si in tali loco moriuntur, in Parochia illius loci sepeliri debent; si autem sepulturam sibi non eligant, Abbas lo. cit. Vallensis h. t. §. 2. n. 4. Molina Disp. 214. n. 18. Pirhing h. t. n. 7. Van Espen lo. cit. nu. 8. Ratio est: tum quia ratione quasi domicilii ibidem acquirunt parochiam, adeò, ut non tantum Sacramento Eucharistiæ, Pœnitentiæ & extremæ Unctionis, sed etiam Matrimonii ibidem percipere valeant, ut ex communiori docet Sanchez de Matr. lib. 3. Disp. 23. n. 12. & 13. Tum quia id exigat casuum frequentia, & ordinaria distantia à loco proprii domicilii, ob quam ad evitandos labores, & expensas multa aliis prohibita permittuntur, uti multis argumentis Probat Glossa in c. 5. de integr. restit. §. Locorum distantiam. Accedit passim recepta consuetudo, quæ non tantum

tantum in dubiis est optimi Legum interpretis, l. Si de. 37. ff. de Leg. sed etiam clarè Legi deo-ga c. fin. Consuevit.

29  
 Quæritur VII. Quibus locis competat jus Sepulchuræ ad hoc, ut defunctorum cadavera ibidem sepeliri possint, ac debeant? Resp. I. Jus sepulchuræ de Jure communi competit Ecclesiæ Parochialis, eorumque Cœmeteris, quæ habent fundatam pro se intentionem, ita ut omnes Parochiani ibidem sepeliri, non tantum possint, sed & debeant; nisi probetur, quòd defunctus habet sepulchrum Majorum, vel aliam sepulturam sibi elegerit, Abbas in c. Certificari. n. 7. & 8. h. t. Sylvester §. Sepultura. q. 3. Molina Disp. 214. n. 21. & Communis aliorum. arg. c. 1. 3. & 10. h. t. c. 2. h. t. in 6. Clem. 2. §. Verum. h. t. junctò can. 1. cau. 13. q. 1. Ratio est supra n. 12. allegata.

30  
 Resp. II. Ex speciali privilegio Juri communi hodie interlo, etiam Ecclesiæ Fratrum Prædicatorum, & Minorum S. Francis competit jus Sepulchuræ in tantum, ut omnes ibi sepeliri possint, & debeant (si Religiosi consentiant) qui sepulchrum ibidem elegerunt. Molina Disp. 214. nu. 21. Abbas in c. Certificari. 9. h. t. n. 8. Donatus tom. 3. tract. 10. q. 12. Pirhing h. t. n. 30. Sannig h. t. n. 5. Roderiquez tom. 3. q. 99. & q. 58. a. 3. & communis aliorum, textu claro, Clem. Dudum. 2. §. Hujusmodi. h. t. & Extravag. Super cathedrâ. 2. §. Hujusmodi. h. t. ubi statuitur, ut Fratres dictorum Ordinum in Ecclesiis, vel locis suis ubilibet constitutis liberam (ut sequitur) habeant sepulchram; videlicet, quòd omnes ad eam recipere valeant, qui sepeliri elegerint in locis, & Ecclesiis memoratis. Idem privilegium postea Augustinianis, & Carmelitis concessum est, ut notat lo. cit. Item etiam aliis Religiosis partim per speciale privilegium, partim per communicationem privilegiorum, Molina, & Pirhing lo. cit.

31  
 Dicitur autem notanter, Si Religiosi consentiant; quia ipsi invitis, vel sine expressa licentia Superioris Regularis, nemo potest sepeliri in Ecclesia, vel Cœmeterio eorum; nec possunt ibidem Benedictiones, Processiones, & Officia mortuorum, Executiones, aut alia Divina peragi, absque dictâ Superioris licentiâ. Donatus p. 3. tr. 9. q. 19. Sannig h. t. cap. 5. n. 4. cum communi, & certa aliorum ob clara Privilegia ad id à pluribus Pontificibus concessa, ut à Clemente IV. per Bullam, Virtute conspicuus, quæ est quarta Constitutio dicti Pontificis apud Cherub. & à Julio II. Estque declaratum à S. Congregatione teste Bardoni. Tom. 2. Constitut.

32  
 Ne autem occasione privilegii sepulchuræ, seditiones, & scandala orientur, mutuaque præjudicia sibi invicem causarent Clerici sacculares, & Religiosi, Bonifacius VIII. c. 1. h. t. in 6. Universis Religiosis, & secularibus Clericis, cujuscumque status, vel conditionis existant, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione maledictionis æternæ (consequenter sub gravi culpa) strictissime prohibuit, ne aliquos ad vivendum, vel jurandum, vel fide interpositâ, aut aliâ promittendum inducant, ut apud eorum Ecclesias sepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent; contrariantes tenentur corpus (si jam est sepulchrum) cum omnibus proventibus intra decendium restituere sub poena Interdicti, cui Ecclesiæ & Cœmeteria eorum tam diu subjacent, donec satisfecerint. Flectio verò ad hujusmodi indicationem factâ, ipso Jure est nulla: debentque ita eligentes ibi sepeliri, ubi nulla electio factâ, aliâ de Jure sepeliri debuissent, prout ulterius statuitur cit. c. 1. h. t. in 6.

33  
 Idem Pontifex c. 1. & fin. de Pœnit. in 6. statuit, ut, si Religiosi cum Parocho aut Clerico alicujus loci specialiter pacifcantur, quòd privilegio sepulch-

ra pro Ecclesiis & locis suis concessio, ex toto, vel ex parte uti nolint, vel non nisi cum certis circumstantiis, pactum hujusmodi omninò servare debeant, quamquam aliqui apud eos sepeliri liberè elegerint; prout dicitur cit. c. 1. de Pœnit. in 6. ubi etiam ratio subjungitur illis verbis: Cum per dictum pactum Indultus hujusmodi derogetur: est factum sit sine præfatis & consensu Generalis & Provincialis, dummodò à Prioribus aut Guardianis cum Conventuum consilio & assensu sit factum & approbatum; uti expressè statuitur c. fin. eod. in 6. & notat Molina lo. cit. n. 22.

34  
 Quæritur VIII. Quænam observanda circa sepulchuram, casu quo quis eam apud Regulares eligat? Resp. I. Ante omnia circa hoc attendenda esse consuetudinem loci, & pacta specialiter erecta, juxta dicta num. præced. arg. c. 1. & fin. de Pœnit. in 6. Resp. II. Nullo speciali pacto existente possunt Regulares etiam irrequitò ac invito Parocho allociare corpus defuncti, illudque ad sepulchrum comitari; corpus tamen ipsum levare, & ad locum sepulchuræ deferre non possunt, nisi priùs requisitò, & expectatò Parocho eoque præsentè: vel nisi requisitò consentire, vel præsens esse recuset: tunc enim etiam invito, & absente Parocho corpus levare, & ad propriam Ecclesiam rectò tramite deferre valent. Donatus lo. cit. q. 12. Barbosa de Offic. & potest. Parochi. p. 3. cap. 26. n. 66. & seqq. Peyr. Tom. 1. Privileg. Minim. in Constit. 26. Leonis X. §. 15. n. 20. Sannig h. t. cap. 5. n. 10. & 11. & hodie Communis aliorum. Patet Conclusio ex Constitutione Leonis X. in Concilio Lateran. ubi statuit: quòd Fratres quorumlibet Ordinum non possint intrare Parochias cum cruce ad levanda corpora defunctorum, qui apud Ecclesias eorumdem Fratrum suam elegerint sepulturam, nisi priùs præmonito, ac requisitò, ac recusante parochiali Presbytero &c. uti refert Roderiquez Tom. 3. q. 58. a. 3. Donatus lo. cit. n. 3. Nec juvat Fratres, quòd subseqentes Pontifices de novo concesserint eis privilegium, irrequitò Parocho cum cruce intrandi Parochiam ad levanda & deferenda corpora defunctorum, ut lo. cit. bene probat Roderiquez. Nam contra est, quòd denuò novissima emanarunt Decreta Sac. Congregat. id, quod Conclusio dicit, expressè habentia, prout videre est apud Barbosam lo. cit. Donat. lo. cit. n. 5. ubi simile Decretum per extensum refert, in quo ad propositum illa habentur verba: Declarat, & statuit, quibusvis Regularibus, quorumcumque Ordinum & Congregationum tam Mendicantium, quam non Mendicantium existant, nullo modo licere Parochias cum cruce processionaliter, aut aliâ, ad efferenda & levanda defunctorum funera intrare, vel illa levare, & efferre, nisi vocatò, & expectatò proprio defuncti Parocho, eoque ibidem præsentè; vel nisi requisitò dissentiat, aut venire expressè recuset &c. quòd Decretum editum est 20. Januarii 1604. Simile per extensum refert editum 1639. 14. Januarii Brugnoti Tr. 4. cap. 15.

35  
 Resp. III. Nec Regulares, nec heredes defuncti cogi possunt, ut defuncti corpus priùs ab ædibus defuncti ad Ecclesiam Parochialem deferant, ibique deponant. pro accipienda ultima quasi Benedictione & Vale à Parocho, & Ecclesiâ; sed possunt Regulares, apud quos defunctus sepulturam elegit, rectò tramite corpus ab ædibus ad suam Ecclesiam deferre, Parocho tamen priùs requisitò & vocatò, eoque præsentè, qui si requisitus consentire, ac venire nolit, etiam eo absente & invito id facere possunt. Donat. lo. cit. q. 13. Pirh. h. t. n. 31. Roderiquez Tom. 3. q. 85. a. 21. Sannig lo. cit. Barb. lo. cit. n. 56. Lezana §. Defunctus. & Communis aliorum. Ita enim expressè declarat Sixtus IV. uti per extensum videre est apud Roderiquez lo. cit. Donatum lo. cit. Lezanam lo. cit. qui duo ultimi

plura quoque per extensum referunt Decreta Sac. Congregationis pro conclusione, edita. In quibus tamen etiam illud habetur, quod ad Parochum loci spectet, cadaver in ædibus defuncti benedicere, & ultimam Vale dicere *Auffegnen*; si vero venire recuset, liberum est Regularibus corpus levare, & ad sepulturam eleſtam deferre: caſu quo autem contentibus & volentibus hæredibus corpus prius ad Eccleſiam Parochialem deferretur, ibique deponeretur, nihil propterea deberetur Parocho præter alia jura Parochialia, ut expreſſe declaravit Sac. Congregatio apud Barboſam *lo. cit. n. 72.* ut proin attendenda non ſit doctrina contraria à Van Elpen *p. 2. tit. 38. n. 12. & 13.* abſque fundamento poſita.

36 Reſp. IV. Dum deſertur corpus ad ſepulchrum, non deſertur crux Parochialis Eccleſiæ, ſed illius Eccleſiæ, in qua ſepelitur, Barboſa *lo. cit. n. 78.* citans Sac. Congregationis Decreta duo. Lezana *lo. cit. n. 78.* poteſt tamen Parochus loci etiam cum ſtola ſunus comitari uſque ad Eccleſiam Regularium, ac etiam illam intrare, ibique permanere, nullo modo tamen ſe immiſcere in actum ſepulturæ, vel Officia defunctorum preragere, aut preces, vel Pfalmos publicè recitare, quoniam omnia hæc ab iſtis Fratribus fieri debent; prout allegatis pluribus Decretis Sac. Congregationis docet Barboſa *lo. cit. n. 76.* & habent Decreta tum à Lezana tum à Donato per extensum allegata, & inſerta cumdam Decreto Auditoris Camere pariter per extensum apud citatos DD. relato; ubi vide.

37 Reſp. V. Penes hæredes eſt, an, & quot Sacerdotes, ad Religioſos, vel Confraternitates pro comitando funere vocare; item an, & quot cereos dividere velint. Barboſa *lo. cit. n. 57.* ex Decreto Sac. Congregationis ibidem relato: vocati autem Regulares, ſi comparere volunt, debent ſe omnes prius conferre ad Eccleſiam Parochialem defuncti, indeque cum Parocho, & Clero pergere ad ædes defuncti; nec licet eis neglecti Eccleſiæ Parochiali ſtatum ad domum defuncti accedere vel alibi, donec ſe immiſcant, expectare. Barboſa *lo. cit. n. 62.* per plura Decreta ibidem allegata.

38 Reſp. VI. Hæredes defuncti nullatenus cogi poſſunt, ut præter Officia, & Miſſas, quæ in Eccleſiæ Regularium, apud quos defunctus elegit ſepulturam, in Exequiis juxta dicta *num. 36.* celebrari faciant. Donatus *lo. cit. num. 17.* Porſel in *Reſponſ. p. 2. caſu. 12.* Lezana, & alii, poſt declarationem ac Decretum Sac. Congregationis apud Donatum *lo. cit.* Ratio eſt libertas ſepulturæ, quam Regulares habent, *Clem. Dudum. h. t.* Quæ libertas nimium læderetur, ſi hæredes cogi poſſent ad duplicanda Officia & Miſſas; ſi enim abſtinerentur ab eligendo ſepulturam apud Regulares, ut conſiderari patet.

§. II.

De Electione Sepulturæ, ac Portione Canonica: ubi etiam de eo, quod peti & accipi poteſt pro Sepultura.

S U M M A R I U M.

- 39 Eligere Sepulturam quilibet ſibi poteſt, etiam uxor & filius familias.
- 40 In quovis loco Religioſo, etiam in privata Capella.
- 41 Impubes prohibetur ſibi eligere Sepulturam: Parentes eorum loco eligunt.
- 42 Religioſi ſubditi profeſſi non poſſunt ſibi eligere Sepulturam: bene tamen Praelati ſupermi.

- 43 Ac Novitiu, item profeſſi in remotis decedentes.
- 44 Quando quis ſepelitur extra ſuam Parochiam, debetur Parocho loci portio Canonica.
- 45 Si quis duo habitus domiciliis, in quibus equaliter habitavit, dividitur in duos Parochos dicta Portio.
- 46 Portio Canonica Episcopalis, & Parochialis quidiſ vocatur etiam Quarta funeralis.
- 47 Quantitas Portionis Canonica certa ac indiviſibilis in Jure non eſt determinata.
- 48 Ordinariè tamen eſt quarta pars eorum, quæ per ultimam voluntatem obveniunt Eccleſiæ alienæ in qua quis ſepelitur.
- 49 Portio Canonica debetur de omnibus & ſolis, quæ Eccleſiæ alienæ vel ratione funeris, vel per ultimam voluntatem defuncti obveniunt. Et *num. ſeq.*
- 51 Limitatur in relictis cauſæ pte; & in caſu decedentis Novitiu, aut ſervitialis Religioſorum.
- 52 Ac ubi eſt conſuetudo de aliquibus non dandi Portionem.
- 53 Solvitur inſtantia ex *Clem. Dudum.*
- 54 Sola Eccleſia aliena, in qua defunctus ſepelitur, tenetur ad Portionem Canonicam.
- 55 Regulares quàm plures ſunt exempti à portione Canonica.
- 56 Obſervanda circa uſum privilegiorum in hoc puncto annotatur: & aſſertur Conſtitutio Concilii Tridenti. Pii V. Gregorii XIII. Et duobus *num. ſeqq.*
- 59 Portio Canonica Episcopalis quid?
- 60 Quantitas ejuſdem quæ?
- 61 Portionem Episcopalem dare tenentur omnes Eccleſiæ, & loca pia.
- 62 Limita in Monafteriis, & Eccleſiis exemptis.
- 63 Ac etiam in Eccleſiis non exemptis, caſu quo eis quid relinquitur pro fabrica, luminaribus &c.
- 64 Hæc Portio conſuetudine poſſim eſt ſublata.
- 65 Pro terra ſepulturæ deputanda nondum benedicta aliquid exigi vel accipi poteſt.
- 66 Non verò pro terra jam benedicta.
- 67 Niſi ibi adſit conſuetudo, vel liberaliter quid offeratur.
- 68 Ratione ſtatus etiam, & honoratioris loci aliquid peti poteſt.
- 69 Solvitur inſtantia.
- 70 Parochus neminem cogere poteſt ad dandum aliquid pro Officio ſepulturæ, Exequiis &c.
- 71 Bene tamen liberaliter recipere: & ubi dandi conſuetudo eſt, Episcopum convenire, ut ad dandum compellat.
- 72 Solvitur inſtantia.
- 73 Abuſus Parochorum in petendo aliquid pro ſepultura & Exequiis, & *num. ſeqq.*

Queritur I. Quinam, & ubi eligere ſibi poſſint 39 ſepulturam? Reſp. I. Omnes & ſinguli pro libitu eligere ſibi poſſunt ſepulturam, à Jure ſpecialiter non eſt prohibitum. Eſt communis ac certa, *textu claro c. 1. h. t. ibi: Nulli negamus propriam eligere ſepulturam, vel alienam.* Rationis loco ſubjungiſt Exemplum Chriſti illis verbis: Dominus enim & Magiſter alienam elegit, ut propriam. Etiam uxori competit hæc facultas *textu expreſſo c. De uxore. 7. h. t. ubi dicitur, Quid nulla ſuper hoc inter virum & mulierem ſit faciendū diſtinctio.* Ratio additur: cum electio illa ad eum potius ſtatim pertineat, in quo mulier ſolvitur à lege viri. Item licet filius familias præ anima ſua nullam circa temporalia non Caſtrenſia facere poſſit diſpoſitionem ultimam, tamen abſque patris conſenſu ſibi poteſt liberè eligere ſepul-

§. II. De Electione Sepulturæ, ac Portione &c.

turam, *c. Licet. q. h. t. in 6.* Ratio eſt, quia quoad jura ſpiritualia, quale eſt etiam jus ſepulturæ *can. Queſta. 12. cau. 12. q. 2.* filiusfamilias patriæ poteſtati ſubjeſtus non eſt.

40 Reſp. II. Habentes jus eligendi ſepulturam poſſunt ſibi in quovis loco Religioſo eligere, etiamſi aliis eideſm jus ſepulturæ non competat, qualis eſt Capella, vel alia Eccleſia ſepulturam non habens, & in qua raro celebrantur Miſſæ. Abbas *in c. 1. h. t. n. ſin. ad ſin. Gonzalez. ibid. n. 9. Pirhing. h. t. n. 17.* & alii apud Fagnanum *in cit. c. 3. h. t. n. 1. arg. cit. c. 1. h. t. & c. 2. §. Si quis h. t. in 6. ibi: Si quis antiquà dimiſiſſa novam etiam in loco minis Religioſo elegerit ſepulturam, electionem hujuſmodi licet Jura ſuper hoc videantur eſſe diverſa, nequaquam volumus impugnari & ibi Gloſſa in caſu. Nec obſtat c. Fraternalitatem. 3. h. t. ubi ſepultura in loco minis Religioſo eleſta expreſſe reprobat. Nam contra eſt, quod in hoc *textu per locum minis Religioſum* intelligatur vel locus omninò profanus, vel ſi aliquo modo Religioſus, tamen irrationabiliter & malehoſus, vel non ſoluta Portione Canonice Eccleſiæ Parochiali electus: *In c. 2. h. t. in 6. verò per locum minis Religioſum* intelligatur talis locus, qui Religioſus quidem eſt, tamen minis talis, utpote in quo minis frequenter Officia Divina, Miſſæ, aut publicæ orationes ſunt, uti cum Doctõribus citatis bene docet Gloſſa *in cit. c. 2. h. t. in caſu*: quæ vel ideò recipienda, quia ſic evitatur Jurium correctio. Notat tamen ibidem Gloſſa, melius & utilius eſſe, ſepulturam in magis Religioſo loco eligere, præſertim in tali, ubi orationes & Miſſarum ſolemnia tam pro vivis, quàm pro defunctis frequentius celebrantur, *c. 3. h. t.* Ratio eſt; tum quia ibi ſepuliti plus de populi operibus participant: tum quia eorundem ob populum ibidem magis concurrentem frequentior fit memoria, uti cum Gloſſa *cit.* notat Fagnanus *in 3. h. t. & Doctõres* communiter. Hæc iterum in memoriam revocanda ſunt dicta ſupra *num. 32.* ne aliquis ad eligendam alicubi ſepulturam inducatur, *arg. c. 1. h. t. in 6.**

41 Reſp. III. ſepulturam ſibi eligere à Jure prohibetur ſequentes I. Impubes *cit. c. Licet. q. h. t. in 6. ibi: Nequeunt antequam ad annos puertatis pervenerint, eligere ſepulturam.* Conceditur tamen ibidem, quod pater (ſi conſuetudo terre id habeat) quo voluerit, impubere poſſit ſepelire: hoc tamen non poteſt, ubi conſuetudo hujuſmodi non habetur, ſed cum ſuis Majoribus, vel in parochiali Eccleſia ſunt tumulandi. Quæ ultima verba juxta ordinem ſepulturæ, non in ſenſu diviſo ſunt intelligenda, ita quòd abſente conſuetudine non poſſit pater pro libitu ſepelire impubere, vel in ſepultura Majorum, vel in Parochia propria, ſed quòd debeat illum neceſſariò in ſepultura Majorum, ſi habeat, ſi verò non habeat, tunc primò in Parochia ſepeliri facere, ut bene docet Gloſſa *in cit. c. Licet. q. h. t. §. Vel in Parochiali.* Ancharanus *ibid. nor. q.* Barboſa *de Offic. & Portio. Paroch. p. 3. cap. 26.* ubi aſſert pro hoc Declarationem Sac. Congregationis.

42 Reſp. IV. Religioſi ſubditi profeſſi in clauſtris morientes non poſſunt ſibi eligere ſepulturam. Communis ac certa, per *textum c. ſin. h. t. in 6. ſupra num. 18.* allegatum: ubi etiam ratio habetur; videlicet, quia velle & nolle non habent. Dicitur autem notanter ſubditi; quia Religioſi Prælati ſaltem illi, qui alium Superiorem, niſi Papam vel Episcopum non habent, quales ſunt Generales Ordinum, ac Abbates non exempti, juxta communem DD. ſepulturam ſibi eligere valent. Abbas *in c. de Uxore. 7. h. t. n. 5. Roderiquez eod. n. 10. Sannig eod. Lauret. de Franch. p. 1. q. 61. n. 3.* & alii contra Donatum *tom. 3. tr. 10. q. 2. arg.* à ſenſu contrario deſumpto, quia

nempe in multis velle & nolle habent, utpote nulli ſubjeſti, niſi quemadmodum alii Clerici ſeculares dicuntur ſubjeſti Papæ & Episcopo. Abbas *lo. cit.*

Dicitur ulterius profeſſi, quia limitatur in Novitiis, utpote qui juxta Communiffimam ſibi eligere ſepulturam liberè poſſunt. Donatus *lo. cit. q. 4. Pirhing. h. t. n. 25. Engel. h. t. n. 12. Armilla. §. Sepultura. n. 6. Diana. p. 5. tr. 3. Reſolut. 109. & alii, arg. cit. c. ſin. h. t. in 6.* ubi ideò præciſe prohibetur Religioſis eligere ſepulturam; quia velle & nolle non habent; ergo à ſenſu contrario, quia Novitiu velle & nolle adhuc habent, cum obedientiam nondum promiſerint, haud dubitè ſepulturam eligere ſibi poterunt. Dicitur inſuper in Clauſtris morientes, quia extra Monafterium decedentes, ſi commodè ad Monafterium portari nequeant, ſepulturam ſibi eligere valent, per dicta *n. 18.*

Queritur II. Quid Juris & emolumenti Parochus 44 defuncti habeat, caſu quo, aliquis in aliena Parochia ſepulturam eligit, vel in ſepultura Majorum extra propriam Parochiam exiſtente ſepelitur? Reſp. I. Regulariter ac juxta Jus commune loquendo, in hoc caſu debetur defuncti Parocho Portio Canonica de omnibus, quæ Eccleſiæ illi, in qua defunctus ſepelitur, per ultimam defuncti voluntatem obveniunt, vel occasione funeris deſeruntur, ſive dein in propria, ſive aliena decedat Parochia. Abbas *in c. Cùm ſuper. 8. h. t. n. 5. Engel. h. t. n. 13. Vallent. eod. §. 5. n. 1. Pirhing eod. n. 44. Sannig eod. cap. 3. n. 1. cum Comuni ac certa aliorum;* ob clara Jura *c. 1. 2. 8. 9. & 10. h. t. & Clem. Dudum. 2. §. Hujuſmodi. h. t. cum concordantibus.* Ratio aſſignatur *cit. c. 1. h. t. videlicet, quia dignus eſt operarius mercede ſua &c. & juxta Apoſtolum ſint ſocili conſolationum, uti fuerunt paſſionum;* conſequenter cum Parochus in adminiſtrandis Divinis vite parochiano, onus & laborem habuit, dignum eſt, ut de funere iplius capiat emolumentum.

Reſp. II. Si quis in duabus diſtinctis Parochiis 45 habeat domicilia, in quibus æqualiter, vel quaſi æqualiter per diverſa anni tempora moratur, dividenda eſt Portio Canonica inter duos Parochos, caſu quo defunctus in tertio loco ſepulturam eligit, vel in ſepultura Minorum extra ambas Parochias exiſtente ſepelitur. Doctores *num. præced.* citati; *textu expreſſo c. 2. h. t. in 6. ibi: Cùm ab eo, quiduo habet domicilia ſe collocans æqualiter in utroque in tertio loco eligitur ſepultura, domiciliorum Eccleſiæ habebunt inter ſe dividere Portionem Canonicam.* Ratio eſt; quia cum ubique verum domicilium contraxerit *l. Ejuſ, qui. 27. §. Celſus. ff. ad Municipali. utrobique Divina, prout potuit, excepiſſe;* conſequenter Parochi ambo in miniſtrandis Divinis laborantes, mercede digni eſſe meritis cenſentur, *arg. cit. c. 1. h. t.*

Queritur III. Quid, quotuplex, & quanta ſit 46 Portio Canonica? Reſp. I. Portio Canonica ſi ſic, eſt quedam pars bonorum defuncti, Episcopo, vel Parocho debita. Definittio eſt clara ex terminis, & deſumitur ex Juribus *n. 44.* citatis juncto c. Requiſiſti *15. de Teſtam.* patebitque magis ex ſtatim dicendis. Nam Reſp. II. Portio Canonica eſt duplex; Episcopalis nempe, & Parochialis. Episcopalis declarabitur per Concluſiones dandas ad quaerendum illorum, quæ ex defuncti voluntate ultimâ, vel occasione funeris obveniunt alienæ Eccleſiæ, in qua defunctus ſepulturam eligit, vel ubi tanquam in ſepultura Majorum ſepelitur. Eſt in re communis, & conſtat ex jam citatis Juribus *n. 44.* Porro vocatur hæc Portio ſubinde Canonica, ut *c. 4. h. t. & c. 2. h. t. in 6.* quia per SS. Canones conſtituta. Subinde Quarta Parochialis, *c. In præſentia. 10. h. t.* quia

quia Parocho defuncti debita. Subinde Quarta funeralis, Concil. Trident. Sess. 25. de Reform. cap. 13. quia, ut dicitur, Quarta pars eorum, quae ratione funeris obveniunt loco, in quo quis sepelitur, debetur proprio defuncti Parocho.

47 Resp. II. Quamvis ex Jure certa ac determinata quantitas Portionis Canonicae Parochialis pro quovis casu, & loco non habeatur, ac proinde circa quantitatem consuetudo locorum attendenda sit: Nihilominus ibi consuetudo aliud non habet, sola quarta pars eorum, quae per ultimam defuncti voluntatem, vel ratione funeris Ecclesiae, in qua sepelitur, obveniunt, Ecclesiae Parochialis debetur. Prima pars Conclusionis docetur à Molina Disp. 215. n. 5. Engel h. t. nu. 13. Pirhing eod. n. 56. & Communis aliorum. Probaturque ex eo, quod non una eademque, sed diversa quantitas Portionis Canonicae Parochialis assignetur in Jure: subinde enim dicitur esse omnia pars, c. 2. h. t. ibi: Omnium rerum medietatem &c. Ecclesiae relinquitur. Subinde assignatur tertia pars c. 1. h. t. ibi: Tertiam partem Ecclesiae dari censemus, in qua caelesti pabulo refici consuevit. Subinde assignatur quarta pars, c. In nostra. 10. ibi: Quarta Parochialis. item Quartam partem habeant, c. Canon super. 8. h. t. ibi: Quarta portio relinquatur, clem. Dudum. 2. h. t. Tridentina. lo. cit. ibi: Quarta, quae funeralium dicitur. Idipsum habet, & hanc primam Conclusionis partem certam reddit textus, c. Certificari. 9. h. t. ibi: Cum autem super hoc articulo diversa Antecessorum nostrorum manaverint instituta; Leone justitiam illam quandoque tertiam partem, quandoque mediam, & Urbano quartam fore censueris, nos tale praebemus in hac varietate responsam, ut sicut B. Hieronymus inquit, Unaquaeque Provincia in suo sensu abundet secundum rationabilem consuetudinem Religionis, illa justitia circa medietatem, vel tertiam, vel quartam partem pro locorum diversitatibus attendatur.

84 Secundam partem tenet Glossa in c. 2. h. t. in 6. prin. Abbas in c. Certificari. 9. h. t. n. 3. Molina lo. cit. n. 5. Pirhing h. t. n. 56. & alii. Ratio est: tum quia quarta partis frequentior fit mentio in Jure, videturque confirmata novissimo Jure Concilii Trident. cit. Sess. 25. de Reformat. cap. 13. tum quia in quarta parte tanquam minori Summa concordat omnia Jura, ut post Glossam bene advertit Abbas lo. cit. arg. c. 1. de Arbitr. in 6. ibi: Licet cum unum in quindecim, alius in decem, tertius vero in quinque pronuntiant, illius, qui dixit de Summa minori (cum in illas omnes concordat existant) sententia efficax censetur. Ut proin Parocho praecise quartam partem pretendere queat, nisi probet, vi consuetudinis sibi plus debere.

49 Queritur IV. De quibus rebus, & à quibus locis solvi debeat Portio Canonica Parochialis? Resp. I. Regulariter ac de Jure communi loquendo, debetur dicta portio de omnibus, & solis rebus, quae vel per ultimam voluntatem defuncti, vel ratione funeris obveniunt Ecclesiae alienae, in qua defunctus elegit sepeliri, vel ubi tanquam in loco sepulturae Majorum sepelitur. Patet Conclusio ex dictis, & Juribus ibidem citatis, praesertim verò ex Clem. Dudum. 2. §. Hujusmodi. h. t. ubi etiam alias privilegiatas locis, & personis Religiosis Ordinibus S. Dominici, & S. Francisci Autoritate Apostolica praecipitur: ut de obventionibus omnibus tam funeralibus, quam quibuscumque, & quomodocumque relictis distinctè, vel indistinctè, ad quoscumque certos, vel determinatos usus, de quibus etiam quarta seu Canonica Portio dari, sive exigi non consuevit, vel non debet de Jure, vel non de datis, vel qualitercunque donatis in morte, seu mortis articulo, in infirmitate dantis, vel donantis, de qua decesseris, quomodocum-

que directè vel indirectè Fratibus ipsis, vel aliis pro eisdem quartam partem (quam Autoritate Apostolica taxamus, & etiam limitamus) parochialibus Sacerdotibus, & Ecclesiarum Rectoribus seu Curatis largiri integrè teneantur.

50 Inferitur, quòd debeatur quarta etiam de candelis, cereis, faculis, ac intortibus accensis, quae circa crucem & cadaver deferuntur, aut ponuntur, Barbosa de Offic. & potest. Parochi. p. 3. cap. 25. n. 41. item de libris, blanderiis, culcitris pallio seu panno, quo feretrum regitur, ac aliis, ibidem appenduntur, vel apponuntur. Barbosa lo. cit. n. 44. & Communis aliorum. Idem dic de equis & armis, nisi in subsidium Terrae sanctae offerantur, aut sepultura eligatur apud Hospitalarios, arg. c. In nostra. 10. h. t. Porò debetur Quarta de relictis Ecclesiae alienae, ubi defunctus sepelitur, per ultimam voluntatem, sive per modum institutionis, sive legati, sive donationis mortis causà fiat, per Jura citata, & sequuntur Doctores communiter.

Limitatur tamen Conclusio in aliquibus, ita ut de iis Portio Canonica Parocho etiam de Jure communi non debeatur. Et quidem Primò nihil debetur de relictis per ultimam voluntatem, Ecclesiae, vel alii pio loco (in quo sepelitur defunctus) aut ad Divini cultus obsequium veluti pro fabrica, luminariis, vestibus, aut paramētis, Anniversariis perpetuis &c. Barbosa lo. cit. n. 47. & 52. Molina Disp. 215. n. 8. Sylvester §. Canonica portio. Pirhing h. t. n. 61. & Communis aliorum post Glossam in c. 2. h. t. §. Decrevit. textu Claro c. fin. de Testam. ibi: De his, quae in ornamentis, vel pro eis, seu fabrica, luminariis, anniversario, septimo, vigesimo, vel trigesimo Die, sive aliis ad perpetuum cultum legantur Ecclesiis, vel relictis piis locis Canonica Portio (dummodò in fraudem non fiat, ut ea Episcopus, seu Parochialis Ecclesia debet defraudari) deduci non debet. Secundò non debetur de equis & armis, quae vel in subsidium Terrae sanctae offeruntur, vel si defunctus apud Hospitalarios sepelitur. Tertio non debetur de relictis, quae offeruntur occasione funeris Novitii: ac Quarto, quae offeruntur in funere domesticis aut servitilibus Religioforum intra septa Monasterii decedentis, juxta dicta n. 20. & 21.

Quintò nihil debetur de iis, de quibus vi consuetudinis nihil datur, ut habet Communis, arg. c. In nostra. 10. h. t. ac c. fin. de Consuetud. Consuetudo autem passim introducta ac recepta habetur, quòd non nisi de iis, quae occasione funeris (non item quae per dispositionem aliquam ultimam) & quidem in sola die Depositionis, aut Sepulturae, Ecclesiae alienae obveniunt, v. g. de candelis, faculo, panno feretrum, armis, equis, insignibus, culcitris &c. solvantur Portio Canonica, teste Molina Disp. 215. n. 9. Roderiquez Tom. I. Q. Reg. q. 39. a. 2. Sannaig h. t. c. 2. Pirhing eod. n. 60. & alii, patetque experientia.

Nec his obstat Clem. Dudum. 2. §. Hujusmodi. h. t. ubi expressè habetur, quòd de omnibus & singulis, quae vel per voluntatem ultimam, vel occasione funeris obveniunt, debeatur Portio Canonica: ac etiam de illis, de quibus (sunt verba Pontificis) Quarta seu Portio Canonica dari, vel exigi non consuevit, vel non debet de Jure. Nam contra est, quòd cum dicta Clementina quoad hoc sit apertè correctoria Juris veteris, sit restringenda, & ultra Fratres Praedicatoris & Minores, de quibus solis Clementina ibi loquitur, non extendenda, consequenter solis dictis Fratibus, non item caeteris piis locis, aut Ecclesiis oblit, ut bene advertit Glossa in cit. Clement. §. de Jure. arg. c. Quae à Jure. 28. de R. I. in 6. patetque ex dictis in Lib. I. Tit. 2. de Constitution. n. 421. Accedit, quòd etsi Lex aliqua praeteritam revocet, ac infirmet

infirmet

infirmet consuetudinem, per hoc non faciat, quòd minis nova consuetudo in futurum introduci queat; nisi sit corruptela, juxta dicta supra in Tit. de Consuetudine. Ex quo apparet, nimis zelose pro Parochialis locutum fuisse alias Doctorem Van Espen, p. 2. Tit. 38. de Sepultura. cap. 5. numer. 31. & sequ. ubi Clem. in illam universitetur ad omnes Ecclesias ac pia loca indistinctè extendit. Nec suffragatur eidem Glossa in cit. Clem. §. Framer. ubi dicit, quòd licet sit nimis rigorosa Bulla, tamen sit observanda quoad omnia & singula, nullo penis excepto. Nam rursus contra est, quòd Glossa ibi tantum dicit, Bullam etiam respectu Fratrum Praedicatorum & Minorum esse nimis rigorosam: non autem respectu aliorum, utpote quos non tangit, prout ipsa Glossa in statim sequenti v. de Jure fitetur.

54 Queritur V. Quam, & quae loca teneantur solvere Portionem Canonicae, seu Quartam parochialem, sive funeraliam? Resp. I. De Jure communi, atque seclua consuetudine & privilegio, omnes & solae illae Ecclesiae, vel loca pia, in quibus alienus Parochialis sepelitur, dictam Portionem tenentur solvere. Communis ac certa claris Juribus supra numer. 44. citatis. Hinc DD. post Gloss. in c. 1. h. t. v. Judicis, communiter inferunt, alias Ecclesias vel loca pia, in quibus defunctus sepultus non est, de sibi relictis, vel legatis Canonica Portionem Parochialem solvere non teneri. Dicitur autem notanter, de Jure communi loquendo; quia plures Regulares, seu potius Ecclesiae & loca eorum sunt exempti à solutione Portionis Canonicae, prout patet ex Conclus. seq.

55 Resp. II. Fratres Minores, ac complures aliae Religiones, eorumque Ecclesiae ac loca pia, per specialia privilegia sunt exempti ab omni solutione Portionis Canonicae Parochialis. Probatur conclusio allegando dicta privilegia: sic enim pro Fratibus Minoribus hujusmodi privilegium concessit Julius II. Leo X. & alii Summi Pontifices, prout videtur est apud Sorb. v. Canonica Portio. Sannaig h. t. cap. 5. n. 6. Paulus III. apud Donatum Tom. 3. tr. 1. q. 5. in Decisione Rotae, quam per extensum referit Pro Carmelitis concessit Nicolaus V. Sorb. lo. cit. ac Julius II. Donatus Tom. 3. tract. 11. q. 4. Praedicatoribus Sixtus IV. & Alexander IV. Sorb. & Donat. lo. cit. Fratres Minoribus II. Sorb. & Donat. lo. cit. Leo X. Congregationi Canadulensis. Celestinus V. Iuae Congregationi, Roderiquez tom. 1. q. 39. a. 3.

56 Circa usum tamen dictorum privilegiorum praec oculis habenda novissima Constitutio Concilii Tridentini Sess. 25. de Reform. cap. 13. sic habens: Decernit Sac. Synodus quibuscumque in locis, iam ante annos quadraginta, Quarta, quae funeralium dicitur, Cathedralibus, aut Parochialibus Ecclesiis soluta esset per solvi, ac postea fuerit ex quoque priv legio aliis Monasteriis, Hospitalibus, aut quibuscumque locis piis concessa, eadem posthac intergro jure, & eadem portione, quae antea solebat. Cuius trali, seu Parochialis Ecclesiae per solvatur, non obstantibus concessis, gratis, privilegiis, etiam Mari magno nuncupatis, aut aliis quibuscumque. Ex his Tridentini verbis inferitur, illa sola Monasteria, quae 40. annis ante Concilium Tridentinum (quod promulgari cepit 1563.) erecta, Canonica Portionem Parochialem tot annis iam dare contineant, eandem eodem, quo prius modo, dare teneantur, non obstantibus privilegiis privatis. Eorundem verò Monasteria eorumque Ecclesiae, & loca pia, quae quidem ante dictos 40. annos fuere erecta, Portionem tamen praestam dare tot annis solvi non sint, nec possunt dare teneantur, sed privilegia allegatis uti

Reiffenuel Jus Can. Tom. III.

valeant. Idem est de illis Monasteriis, quae 40. annis citra fundata existunt sicut etiam quae post Concilium fuere erecta, & quotidie eriguntur, ad penitus nullam Portionem tenentur, sed memoratis privilegiis gaudent. Barbosa de Offic. & potest. Parochi. p. 3. cap. 25. n. 12. citans Decretum Sac. Congregationis, & Decisiones Rote, Donatus Tom. 3. tr. 1. q. 5. Lyan lib. 3. tr. 5. cap. 12. numer. 13. Roderiquez ubi supra, Sannaig h. t. cap. 5. nu. 7. & 8. & alii.

Huc fertur etiam Bulla Pii V. Epsi Medicoctae, 57 edita paucis annis post publicatum Concilium Tridentinum anno 1567. in Bullario Cherub. 41. inter Constitutiones dicti Pontificis, ubi §. 11. sic habet: Quae tam autem funeralium, de Sess. 25. cap. 13. nequaquam solvere teneantur Monasteria, quae à quadraginta annis citra existunt postquam Concilium Tridentinum loquitur tantum de Monasteriis ante annos quadraginta fundatis, quae ipsam Quartam solvere consueverunt; & ubi solvi consuevit, ea tantum de circa & aliis quae in aliquibus partibus deferri contingerit, tempore, quo defunctorum corpora ad sepulturam deferuntur; non autem de Mensis, seu legatis, vel aliis, Fratibus ipsis, seu Mineralibus hujusmodi relictis, aut aliis quomodolibet donatis, solvi debet: sique intelligi Concilii Decretum quoad Quartam hujusmodi solvendam debere, decesserunt. Ubi verò non est consuetudo solvendi Quartam hujusmodi, de nulla supra scriptorum solvi debere declaramus.

Nec dicas hanc Pii V. Constitutionem revocata esse per Gregorium XIII. in Bulla In tanta mole, quae est q. inter Constitutiones dicti Pontificis in Bullario Cherub. Nam contra est, quòd Gregorius XIII. tantum revocaverit Bullam Pii V. in his, quibus conceditur aliquid contra Concilium Tridentinum, non verò in iis, in quibus dictum Concilium solummodò declaratur, aut eidem nihil contrarium conceditur, ut bene observat Barbosa lo. cit. numer. 14. Donatus lo. cit. Roderiquez lo. cit. Tambur. de Jure Abb. Tom. 1. Disp. 18. q. 17. & alii communiter: prout etiam declaravit S. Congregatio apud Barboiam & Donatum lo. cit. atque saepius secura est Rota.

Queritur VI. Quid, & quanta sit à quo, & 59 cui debeat Portio Canonica Episcopalis? Resp. I. Canonica Portio Episcopalis est quaedam pars juxta SS. Canones Episcopo debita de iis bonis, quae per ultimam voluntatem relinquuntur Ecclesiis, vel aliis locis piis. Barbosa de Offic. & potest. Episcop. p. 4. Alleg. 85. n. 1. Donatus Tom. 3. tract. 11. q. 1. Pirhing de Testam. n. 94. & in re Communis aliorum arg. c. Requisitioni 15. de Testam. c. Officium 14. eod. c. Conquerente. 16. de Offic. Ordin. juncto can. 1. & seq. cau. 10. q. 3. Vocatur Canonica Portio, c. fin. de Testam. & alibi, quia per SS. Canones sit introducta, Barbosa lo. cit. item Quarta mortuorum, c. Conquerente. 16. de Offic. Ordin. quia de relictis in morte, seu per ultimam voluntatem, Glossa in cit. c. Conquerente §. Mortuorum.

Resp. II. Quantitas Portionis Canonicae Episcopalis non ubique est eadem, sed diversa pro diversitate consuetudinis locorum, ut proin circa quantitatem attendendam sit ad locum consuetudinem, prout in simili diximus supra de Portione Canonica Parochiali: patetque clarè ex cit. c. Requisitioni 15. de Testam. ibi: Regulariter verum est quòd Episcopus secundum diversas consuetudines tertiam, vel quartam portionem debet habere. Tertia pars assignatur etiam can. De his. 7. & can. Decrevimus. 10. cau. 10. q. 1. Quarta determinatur can. Vulnerae. 25. & pluribus leg. cau. 12. q. 2. sicut etiam cap. Conquerente. de Offic. Ordin. subinde etiam Medietas, can. Antiquo. 8. cau. 10. q. 1. ut proin consue-

8aa

tudo

tudo merito attendenda sit; quae ubi deest, quarta pars diligenda est per Jura all-gara supra num. 48. ubi in simili Quartam probavimus in Portione Parochiali.

- 61 Resp. III. Portionem Canonice debent Episcopo omnes & solae Ecclesiae locaque pia intra suam Diocessin existantia, suaeque jurisdictioni subiecta. Barbofa loc. cit. Pirhing loc. cit. & §. de Offic. Ordinar. n. 106. Sylvester v. Canonica portio. qu. 3. Donatus loc. cit. n. 1. Abbas in c. Requisivisti. 15. n. 9. de Testam. Layman lib. 3. tr. 5. cap. 12. n. 13. & Communis aliorum. Juribus supra n. 59. citatis. Ratio est: tum quia non tantum Ecclesia Cathedralis, sed & aliae Ecclesiae, ac loca pia eidem sunt subiecta, c. Cum Episcopus. 7. de Offic. Ordinar. in 6. consequenter omnia ad Portionem hanc sicut ad alia Jura Episcopalia (de quibus in cit. c. Conquerente. 16. de Offic. Ordin.) in signum recognitionis tenentur: tum quia circa omnes omni gerit & curam Episcopalem, consequenter ab omnibus mercedem meretur. arg. c. 1. h. 1. Barbofa loc. cit. n. 7.
- 62 Limitatur autem Conclusio Primò in Monasteriis, Ecclesiis & locis exemptis; hæc enim ad Quartam Episcopalem non tenent, Communis, ac probabiliter tenet DD. signanter Barbofa loc. cit. n. 10. ubi testatur de Communi & vera, Abbas in c. Officium. 14. n. 6. de Testam. dicens, esse communis & verius, Sylvester v. Canonica portio. qu. 3. nu. 4. Angel. eod. verb. n. 7. Miranda in Manual. Pralat. tom. 2. q. 48. a. 2. Pirhing de Testam. n. 100. Azorius p. 2. lib. 9. cap. 12. q. 5. & alii. Fundamentum est; quod rationes, ob quas alia loca pia teneantur Episcopo solvere Portionem Canonice, cesset in locis exemptis, utpote respectu quorum Episcopus nec est Superior, cum ab ejus jurisdictione exempti sint, & eorum Ordinarius sit Summus Pontifex, uti bene observat Glossa communiter recepta in can. Nulla. 8. dist. 93. v. Aephalos; nec speciale curam & onus eisdem, quippe curæ illius non subiectos habeat. Accedit, quod Episcopus nec cætera Jura Episcopalia recipiat à locis exemptis, c. Cum Episcopus. 7. de Offic. Ordinar. in 6. & ibi Glossa recepta v. Non exemptio. His adde, quod etsi exempti etiam de Jure communi tenerent ad solvendam Quartam Episcopalem, tamen complures Religiones præsertim supra num. 55. allegatae essent ab hoc onere liberæ ob specialia privilegia per Pontifices ibidem adductos concessa, vide apud Doctores eod. n. citatos.
- 63 Limitatur secundò in casu, quo Ecclesiis, & locis pijs etiam non exemptis legatur vel relinquatur aliquid pro fabrica, luminariis, ornamentis, Anniversariis &c. textu claro c. fu. de Testam. & ibi Abbas n. 2. Covarruvias n. 4. Barbofa loc. cit. n. 23. & alii. Limitatur tertiò, si quid legatur pauperibus in genere, Barbofa loc. cit. n. 22. Ratio est; quia in tali casu legatum non fit loco pio, sed personis, de relictis autem personæ non debetur portio Episcopo c. Ex parte. 31. de V. S. ergo, alias Limitationes vide apud Barbofam loc. cit.
- 64 Illud tamen etiam circa Portionem Canonice, seu Quartam Episcopalem addendum, quòd hodie in pluribus Diocessibus contrarià consuetudine penitus sublata sit, prout testatur Layman lib. 3. tr. 5. qu. 12. num. 13. & alii, patetque experientia; prout etiam videmus in ordinatissima Diocesi Frisingensi, in qua Reverendissimi Ordinarii de Legatis & relictis Ecclesiae vel loco pio cuiunque, Portionem Canonice nunquam præstentur, vel exigunt.
- 65 Queritur VII. Num aliquid peti possit pro Sepultura? Resp. I. Quamvis terra & fundus nondum benedictus emi & vendi possit ad hoc, ut dein

benedicatur & in Cæmeterium, vel aliam sepulturam privatam erigatur; tamen pro eadem jam benedicta, aut Auctoritate Episcopi in Sepulturam Ecclesiasticam deputata penitus nihil peti potest, non obstante consuetudine. Prima pars caret omni contraversione, cum Glossa in c. Abolende. 13. h. 1. Sepultura, tenent DD. unanimiter, arg. can. Aurum. 70. cau. 12. q. 2. & l. Locum. 9. C. de Religios. Et sumpt. ubi utraq; pars Conclusio illis verbis habetur: Locum quidem religiosum districhi non posse manifestum est; verum egrum purum monumento adherentem profani Juris esse, idque efficaciter venditari, non est incertæ opinionis: ubi per purum agrum terra nondum benedicta intelligitur, l. 2. §. Purus. 4. ff. de Religios. habetur ibi: Purus autem locus dicitur, qui neque sacer, neque sanctus, neque Religiosus est. Ratio est; quia cum juxta dictam hujusmodi terra vel fundus sit quid profus profanus, utique à domino ejusdem libere vendi, & ab alio emi potest; cum quis rei sue moderator, & abiter sit, l. In re mandata, C. Mandat. Nec tenetur dominus talem fundum pro sepultura gratis dare, utpote minime obligatus ad beneficium faciendum de suo can. Aurum. 70. cau. 13. q. 2.

Alteram Conclusionis pars pariter est certa, eamque tenet Glossa loc. cit. v. Sepultura. Abbas in c. Abolende. 13. h. 1. n. 1. Barbofa ibidem 1. Pirhing h. n. 36. & 37. Sannig. eod. cau. 4. n. 7. & Communis aliorum, arg. can. Questio. 12. & titulus seqq. cau. 13. q. 2. ubi contraria praxis vocatur prava consuetudo c. Abolende. 13. h. 1. ibi: Abolenda consuetudo vitiosa, per se in se inviolabilis non potest, nisi prius per mitatur effectus sepultura, quàm pro terra, in qua sepelientis sunt, certum pretium Ecclesiae persolvatur &c. Mandemus, quatenus cum loci Diocesanus existat, in huiusmodi Clericis, ne quidquam emmo presumant exigere hoc de causa juncta l. Locum. C. de Religios. Concordant c. Non satis. 8. & c. Cum in 9. de Simonia. ubi reprobat etiam contraria consuetudo eo quòd tenet graviora sint crimina, quam diutius infeltem animam tenerent alligatam, cit. c. 9. & quia diuturnitas temporis non diminuit peccata, sed auget. cit. c. 8. ad fin. Ratio est; quia ipsa benedictio Sepulture ad hærentes emi ac vendi, consequenter res temporales pro spirituali dari censetur, quod simoniacum est; arg. tot. Tit. de Simonia.

Resp. II. Potest nihilominus pro Sepultura liberaliter Ecclesiae oblatum aliquid temporale accipi: in d. ubi consuetudo pro ea quid dandi viget, etiam peti, absque tamen turpi exactione: quarevis Laici, si talem consuetudinem observare detrectent, à loci Episcopo ad id compelli possint, funeralibus tamen prius percitis. Abbas in c. Abolende. 13. h. 1. Sylvester. §. Simonia. q. 11. dist. 1. Pirhing h. n. 40. & alii infra n. 70. citandi, ubi, quòd similiter pro Exequiis, & actu Sepulture quid peti & accipi possit, dicemus, & ulterius probabimus arg. c. Ad Apostolicam. 42. de Simonia. ubi consuetudo pro Exequiis aliquid dandi non tantum approbatur, sed etiam observari præcipitur. Ratio autem, cur pro Sepultura aliquid accipi, & stante consuetudine etiam peti possit, est conservatio, ac reparatio fabricæ, & aliorum Ecclesiae, ob quam Pontifices similes laudabiles consuetudines aliquid Ecclesiae dandi merito approbant, & observari præcipiunt. Roderiquez Tom. 3. q. 58. a. 2. & alii.

Resp. III. Probabile est, posse etiam pro modum 68 pretii & contractus aliquid peti & accipi, pro honorarii situ & loco Sepulture: v. g. ut quis sepeliat in Ecclesia, Capella &c. Roderiquez. Tom. 3. Q. Reg. qu. 58. a. 2. Bellel. Disquisit. Cleric. p. 1. de Clerico debitore. §. 3. num. 30. Barbofa in c. Abolende. 13. h. 1. nu. 7. & plures alii à Barbofa citati; quam-

quamvis non omnes ab eo citati Conclusionem teneant, uti patebit insipientes fontes, contra Pirhing h. n. 38. Ratio est; quia in tali casu non attenditur ipsa Sepultura, sed honor & præminentia, quæ ut quid profanum pretio estimabile est, & ordinariè à defuncto, vel hæredibus ejus intenditur, utpote qui aliàs in Cæmeterio tanquam communi loco Sepulture, & ad id specialiter benedicto sepeliri permitteret defunctum. Accedit praxis quotidiana Doctissimorum & timoratissimorum Virorum ex utroque tam sæculari quam Regulari Clero pro Sepultura in Ecclesiis, vel aliis similibus honoratoribus locis sine omni scrupulo pacificentium, & pretium accipientium, scientibus & tolerantibus Rmis. Ordinariis, imò id ipsum per suos prædicantibus: qui omnes sanè continuè Simoniacæ pravitatis argui absque temeritate vix possunt.

69 Dices cum Adversariis: locus, & quævis res sacra sub nullis sunt dominio, l. In tantum. 6. §. Sacra. ff. de Res. divis. ergo pretio temporali distrabi non possunt. Resp. Negando Suppositum argumenti, quòd nempe ipse locus sacer pretio distrahatur; cum juxta dicta non pro illo, sed tantum pro honore & præminentia concessa pretium exigatur: sicut à pari contingit, si pro pretio Ecclesie Laico concedit honoratiorem locum, seu sedem, sive banchum in Ecclesia, quod fieri posse, etiam Adversariis concedunt.

70 Queritur VIII. An Clerici aliquid exigere possint pro actu, & officio Sepulture, pro Exequiis, deductione funeris &c. & Resp. I. Illi Clerici, quibus cura sepeliendi ratione Beneficii incumbit, quales sunt omnes Parochi, coactivè nil possunt exigere, seu neminem possunt compellere, cogere, seu adigere, ut aliquid det pro actu Sepulture, Exequiis &c. etsi ita compellendi & exigendi alicubi viget consuetudo. Est communis ac certa, claris Juribus c. Abolenda. 13. h. 1. & c. Non satis. 8. de Simonia. ibi: Pro Sepultura quoque nulla cuiuscunque pretii exactio attentetur: nec sub prætextu cuiuscunque consuetudinis reatum suum quis teneatur; quia diuturnitas temporis non diminuit peccata, sed auget c. Cum in Ecclesia. 9. eod. ibi: Horribile nimis est, quòd in quibusdam Ecclesiis locum venalitas prohibetur haberi, ita ut pro Sepultura & exequiis mortuorum aliquid requiratur. Putant autem plures, ex hoc licere, quia legem moris de longa invaluisse consuetudine arbitrantur, non attendentes, quòd tantò graviora sint crimina, quam diutius infelitem animam tenerunt alligatam &c.

71 Resp. II. Possunt nihilominus præfati Clerici spontè oblata pro Exequiis accipere; imò etiam, ubi aliquid dandi viget consuetudo, dandum petere, & ut dent, Laicis obligationes infinuare, absque tamen coactione & compulsionibus, utpote quæ non ipsis Parochis, sed Episcopo loci competit, casu quo Laici laudabilem dandi consuetudinem alicubi introductam observare detrectarent. arg. c. AA. Apostolicam. 42. de Simonia. ubi ad propositum ita statuit Pontifex: Pravas exactiones fieri prohibemus, & pias consuetudines precipimus observari: & infra: Per Episcopum loci consensuatur, qui malitiosè nituntur laudabilem consuetudinem immutare. Ratio autem, cur Pontifex hanc consuetudinem tanquam laudabilem approbet, & observari præcipiat, esse censetur honesta Parochorum sustentatio, cujus titulo etiam pro spiritualibus temporalia accipere licet, prout videre est in Missis, ac aliis laboribus spiritualibus: nec immerito, cum dignus sit operarius pro mercede sua c. 1. h. 1. Nec multum fit, quòd quis pro sua sustentatione ab eo accipiat temporalia, cui subministrat spiritualia, teste Doctore gentium: Et secundum eundem Apostolum, qui

Altari servit, de Altari vivere debeat, c. Cum secundu. 16. de Præbend.

Nec dicas Parochos aliunde jam v. g. ex Decimis, oblationibus &c. suam habere sustentationem. Nam contra est, quòd licet aliqui forsitan essent, hoc per accidens foret, cum major pars honesta ac decenti sustentatione careat, nisi eidem funerales, & alii ex laudabili consuetudine, v. g. Pro Benedictione nuptiarum, administrandis Sacramentis debiti redditus competere; præsertim postquam hodie Decimæ reales & mixtæ passim ad Capitula Canonicorum, Monasteria & Nobiles transfère: Decimæ verò personales passim omnino in desuetudinem jam abierunt, ob continuam difficultatem in perscrutando, quidnam singulis annis quibus lucratur, consequenter ad quam quantitatem titulo Decimarum personalium obligatus esset. In quarum proinde decimarum personalium locum, præfatum & similes consuetudines laudabiles introductas, & à Summis Pontificibus approbatas fuisse, verisimile est, uti ex Concilio Camerac. benè advertit Van Espen p. 2. Tit. 38. de Sepult. cap. 4. n. 40.

Observant tamen Abbas in cit. c. Abolenda. 13. h. 1. n. 3. Barbofa. ibid. n. 8. & Doctores communiter, quòd Episcopus non tantum attendere debeat, ut Laici laudabiles consuetudines observent, sed etiam vigilare teneatur, ne in hoc à Parochis excessus fiant, ut loco laudabilium consuetudinum prævæ corruptelæ introducatur; inter quos est Primò, si ipsi Parochi suà auctoritate Laicos cogunt, & compellunt ad dandum id, quòd vi laudabilis consuetudinis tenentur, arg. c. Non satis. de Simonia. & c. Cum in Ecclesia. 9. eod. Secundo, si numquam præstentur, & quasi pro libertate & effectu agent, vel dimittunt funeralia, præsertim quando hæredes defuncti aliàs non adeo divites, sed in statu suo egentes sunt. Pro evitando hoc excessu in pluribus locis laudabilissimè habentur certæ quaedam taxæ ab Episcopis alicubi à Synodis, & in nonnullis locis, communicatis consiliis, Auctoritate Ecclesiastica, & Laicali posttæ, quas transgredi nec Clericis, nec Laicis licet. Habetur quidem similes taxa etiam in Bavaria per specialia Concordata inter Rmos. Ordinarios & Principem Territorialem initia, in hoc puncto præscripta. Verum quia dicta taxa pro moderno tempore, quo cuncta honeste sustentationi necessaria majori tanto comparanda pretio, pro Clericis videtur nimis modica, hodie non amplius observatur, Parochis ipsis taxam pro libertate, & discretione suà facientibus. Ut proin haud dubiè utile, & ad multa evitando inconvenientia conducens foret, ad exemplum aliarum Diocessum demò certam, & proportionatam temporè secundum pensionarum morientium, & Exequiarum diversitatem præscribere, plura exempla ad propositum affert Van Espen loc. cit.

Tertiò fit excessus, quando Parochus defunctum 74 prius sepelire recusat, antequam eidem certum pretium persolvatur, aut promittatur, qui excessus, abolenda consuetudinis perversitas vocatur, cit. c. Abolenda. 13. h. 1. & gravissimè ibidem prohibetur.

Quarò, quando cogunt, & variis modis adigunt hæredes defuncti, ut præter Exequias, ac Depositionis officium etiam Tertium, Septimum, vel Trigesimum pro lucro & comodo Clericorum celebrari faciant; cum Tertium, Septimum, vel Trigesimum celebrandi nulla de Jure obligatio, sed mera liberalitas sit, prout etiam in diversis Diocessibus, ac specialiter, in ordinatissima nostra Frisingensi iudicatum habetur, quod etiam annotavit Schmidt in statutis Bavariæ, ad Processum editi. Tit. 2. a. 3. n. 13.